

ret (*Clem. un. h. t.*); quia princeps ob eminentiam dignitatis, de suo facto testificans, plenè probat, ut in contrarium non admittatur probatio directa, sed quandoque indirecta: ut si Papa dicat, beneficium fuisse in manibus suis resignatum à Titio, et illud alteri conferat; tertius verò dicat beneficium non fuisse resignantis.—2.º Si intentio Papæ fundetur super facto alieno á se narrato, narratio plenè probat; nisi quis contrarium probeat (*c. 7. de sent. et re judic.*), cum circa factum alienum facile error intervenire possit.—3.º At si intentio principis nullo modo fundetur in narratione, hæc nihil probat, cum ex ignorantia vel subreptione multa dici possint; ut si Papa excommunicato det litteras, eumque salutet (*c. 41. de sent. excom.*), vel si in litteris Ecclesiam aliquam vocet exemptam, vel aliquem sub titulo certæ dignitatis compellet etc.; nam hæc incidenter dicta non curantur, nisi specialiter edatur instrumentum exemptionis, dignitatis etc. Reiff. à n. 98.

## TITULUS XX.

### DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS. \*

458. Nota I. Testes in genere esse personas idoneas, quæ ad fidem aliqujus rei instruendam adhibentur (*l. 1. pr. ff. h. t.*); eorumque depositiones, seu assertiones super aliquo facto vocantur *attestationes*.—Sunt autem testes: alii *testamentarii* qui in testamento, alii *instrumentarii* qui in instrumento, alii *judiciales* qui in iudicio adhibentur. Et de his ultimis hic.

Nota II. Quod testis judicialis est persona idonea et fide digna, quæ legitime vocata ad iudicium, fert testimonium in causa controversa, (*c. 1. h. t.*); ubi tres conditiones requiruntur in testibus, scilicet: *ut sint idonei*, seu natura vel jure non prohibiti; *fideles*, seu fide digni; et *jejuni*, saltè ex honestate et ob reverentiam juramenti; licèt hæc ultima conditio hodie necessariò non exigatur. Ceterum Maschardus et alii meritò admittunt latitudinem inter testes idoneos, ut alii sint *simpliciter idonei*, qui nulla exceptione repellì possunt à testimonio; alii *omni exceptione majores*, qui majori honestate, fide et existimatione præstant.—Similiter testes alii sunt *simpliciter idonei*, qui nullo modo in aliqua causa testificari possunt; alii *inidonei secundum quid*, qui vel in certa causa, vel contra certas personas, vel pro certis personis testificari nequeunt.

Nota III. Testes dividi: in testes *contestes*, qui concorditer deponunt super eodem facto; et in testes *singulares*, qui in testimonio non concordant. Hæc autem singularitas est triplex: *obstativa*, seu adversativa, dum dictum

\*—Agitur de hac materia in Sexto, et Clementinis *h. t.*—In Decreto 2. q. 4. et 4. q. 2.—In Tridentino sess. 13. c. 7. de refor.—In Pandectis *lib. 22 tit. 5.*—In Codice *libr. 4. tit. 20. Nov. 90.*

unius contrariatur dicto alterius: ut si unus dicat, quod Titius occiderit Cajum in foro civitatis vesperi, et alter quod occiderit illum in loco extra civitatem hora matutina. *Diversificativa*, si testes deponant de factis diversis, non tamen sibi contrariantibus: ut unus de occisione Caji, alter de occisione Titii, vel de futuro etc. *Adminiculativa*, seu cumulativa, dum dicta testium super diversis quidem actibus proferuntur, attamen mutuo se adjuvant ad probationem rei controversæ: ut si unus testificetur de visu, alter de auditu, tertius de actu vel indicio præparatorio, v. g. ad homicidium. Rursum, testis in deponendo vel est *vacillans*, qui titubando et dubitando profert testimonium; vel *varius* seu varians, qui in diversis judiciis, vel diversis instantiis ejusdem judicii varia et diversa profert, non tamen directè sibi contraria; vel *contrarius sibi*, qui directè contraria, et inter se pugnancia profert.—Agetur hic de testibus habilibus et inhabilibus, de eorum productione, receptione, probatione, et impugnatione.

## §. I.

### De habilitate et inhabilitate testium.

459. Q. I. *Quis testis reputetur simpliciter habilis, seu idoneus?*

R. Omnis regulariter, nisi probeatur inhabilis. Nam edictum de testibus (*l. 1. §. 1. ff. h. t.*) est prohibitorium in materia generaliter permissa; ergò omnes admitti possunt, quibus non interdicitur testimonium.

460. Q. II. *Qui sint testes simpliciter inhabiles?*

R. De jure naturali sunt omnes illi, qui carent usu rationis: ut infantes, amentes, perfectè ebrii, furiosi, nisi habeant lucida intervalia (*l. 5. ff. de R. J.*)

De jure positivo:—1.º Ex defectu ætatis impuberes (*l. 3. §. 5. ff. h. t.*), nisi in criminibus læsæ majestatis (*lib. 4. C. ad L. Jul. Maj.*)—2.º Ex defectu status civilis, servi legales (*l. 10. ff. de V. S. l. 7. ff. et l. 11. C. h. t.*), nisi alii testes deficiant; et tunc depositiones servorum non dicuntur *testimonia*, sed *responsa*, in contemptum conditionis servilis (*l. 7. cit.*)—3.º Ex vitio corporis, cæci, surdi, et muti (*c. 37. et l. 18. C. h. t.*), nisi in casu necessitatis scripto testimonium esset dandum de eo, quod cæcus ante cæcitatem, vel surdus, aut mutus vidit (*arg. l. 65. §. 5. ff. ad SC. Trebell.*)—4.º Ex defectu fidei, seu probæ vitæ, omnes vitio legali infecti, uti sunt:—infames infamia juris (*c. 47. l. 3. §. 5. ff. h. t.*), et de jure Can. etiam infames infamia facti (*Can. 17 infames, 6. q. 1.*), nisi in causa hæresis, læsæ majestatis, et si aliter veritas haberi nequit.—Pecunia corrupti (*cit. l. 3. et c. 1. h. t.*)—Perjuri (*c. 54. h. t.*), etiam emendati, excepto crimine hæresis.—Excommunicati, qui non tollerati repellì possunt; si autem non repellantur, probabilius valet eorum testimonium (*arg. c. 13. de hæret. à sens. contr.*), cum ibi hæretici solùm repellantur à testimonio valido.—

Criminosi, et quidem de jure Can. quicumque perseverantes in gravi crimine (*Can. 1. neganda 3. q. 11. c. 54. h. t.*); de jure autem civili criminosi, saltē in causis civilibus admittuntur, nisi ratione criminis contraxissent infamiam juris (*lib. 3. §. 5. ff. h. t.*)—Accusati de crimine infamiam irrogante (*c. 56. h. t.*); at de jure civili non repelluntur, nisi per sententiam condemnati sint, aut saltē incarcerati (*cit. l. 3. §. 3.*)—Denique pauperes et viles personæ ob periculum corruptionis (*l. 3. pr. eod. c. 7. v. sed et 2. q. 1.*), nisi pauperes essent honestæ et bonæ famæ. Quæ autem sint personæ viles, locorum consuetudo attendi debet: sic alicubi lictores et carnifices, alicubi macellarii inter infames habentur. Ceterum in criminibus gravissimis et exceptis, et dum veritas aliter haberi nequit, admittuntur etiam testes inhabiles; quanta autem fides eis habenda sit, relinquatur arbitrio judicis.

161. Q. III. *Qui sint testes secundum quid inhabiles?*

R. 1.º Personæ, quæ in certis causis testificari nequeunt, sunt:—I. Minor 20 annis in causa criminali; et probabiliter etiam in causa civili valde ardua, quæ criminali æquiparatur (*l. 20 ff. h. t.*)—II. Clerici et Religiosi in causa sanguinis contra reum (*Can. 9. testimonium, 11. q. 1. c. 14. h. t.*), idque od periculum irregularitatis.—III. Fæmina de jure canon. in criminalibus, in foro ecclesiastico, et ubi jus Papæ viget. (*Can. 7. mulierem 33. q. 5. et c. 10. de V. S.*), idque ob mutabilitatem et inconstantism judicii fæminei. At de jure civili fæmina honesta potest esse testis etiam in criminalibus, cum mulieribus testimonium generaliter admittatur, excepto testamento (*l. 20. §. 6. ff. qui test. fac.*) et causa feudali (*l. 2. F. t. 32.*), nisi esset fæmina illustris et feudum habens. Item excepta fæmina, quæ suo corpore quæstum palam facit (*l. 3. §. 5. ff. h. t.*); et adultera in causa adulterii (*l. 18. eod.*), quam legem Gratianus retulit in Decretum, *Can. 2. ex eo 15. q. 3.*, sed ibi non habet plus autoritatis, quam in jure civili.—IV. In causa universitatis concernente utilitatem singulorum, ut de pascuis, lignis cædendis etc.; eives, aut membra hujus communitatis nequeunt testificari, cum hoc testimonium esset in propria causa. At si causa est solius communitatis, v. g. Ecclesiæ, capituli, et non est nimis ardua, produci possunt testes ex ipsa communitate, v. g. Clerici et Religiosi, imò et Prælatus, si non sit actor, maximè in defectu aliorum testium, etsi aliàs vivant ex proventibus Ecclesiæ (*c. 6. et 12. h. t. l. 7. §. 1. ff. quod cujusque univers.*) In causa verò nimis ardua, vel criminali testes de communitate, pro illa testificantes, non sunt idonei, idque propter suspicionem falsitatis. Vide Reiff à num. 197. Denique:—V. In causa propria nemo idoneus testis (*l. 10. ff. h. t.*), cum non careat suspitione falsitatis ob propensionem ad proprium commodum. Ex eodem fundamento non est testis idoneus, qui consimili morbo laborat, hoc est, qui similem causam habet, ut judex in causa quam judicat, actor in causa quam agit, fidejussor in causa fidejussionis, venditor pro emptore, donatarius pro donante; et generaliter omnes qui commodum ex testificando, et damnum ex non testificando reportare possunt.

2.º Personæ, quæ pro certis personis testificari nequeunt, sunt:—I. Pa-

rentes pro liberis, et contra (*c. 22. h. t.*), quod extenditur ad ascendentes, vitricos, filios naturales et spurios, ob causam affectionis (*l. 9. ff. et l. 6. C. h. t.*)—II. Fratres, consanguinei et affines usque ad tertium gradum inclusivè; uti et magna familiaritate conjuncti pro se invicem (*Can. 1. et 12. causa 3. q. 5. l. 4. 5. ff. h. t.*)—III. Conjuges, imò et sponsi pro se invicem (*Can. 3. si testes 4. q. 1. cit. l. 4.*); nam inter has et priores personas præsumitur magna affectio et periculum falsitatis.—IV. Domestici pro domino, aut patrefamilias ob affectum (*c. 1. super 14. q. 2. l. 24. ff. et l. 3. C. h. t.*) Nomine autem domesticorum veniunt, quibus ratione patriæ, dominicæ, aut gubernativæ potestatis imperari potest; ut servi, famuli, mercenarii etc.; non autem regulariter coloni, inquilini, vel emphyteutæ etc.—5.º Vasalli et subditi pro causa domini directi, ubi timetur injusta eorum vexatio, si contra dominum testificarentur. Secus hoc timore præciso, vasallus in causa domini est testis idoneus, ut sæpe legitur in LL. Feudorum, cum vasallus magnam notitiam habeat jurium domini sui. Hæ tamen personæ regulariter possunt esse testes in instrumentis; item in causis, ex quibus nullum commodum in eas redundat: ut parentes, et consanguinei circa ætatem liberorum, circa impedimenta cognationum etc.

3.º Personæ, quæ contra certas personas testificari nequeunt, sunt:—I. Socius contra socium criminis (*c. 10. h. t. l. 11. C. eod.*); nam confessus, vel convictus de crimine, fit infamis.—II. Inimicus contra inimicum, modò sit inimicitia gravis aut capitalis (*c. 13. 19. de accus. l. 3. ff. 17. C. h. t.*); nam malevolentia subvertit veritatem.—III. Infidelis et Judæus contra fidelem (*c. 21. h. t. l. 21. C. de Hæret.*); nam tales suspecti sunt de falsitate, cum nec Deo fidem servant. At fidelis contra infidelem est testis idoneus.—IV. Laici contra Clericum in causa criminali (*c. 14. h. t.*); nam laici plerumque erga Clericos alieno sunt animo; et aliunde reverentia, quam debent Clericis, prohibet illos à testificando. At si Clerici testes haberi nequeunt, admittuntur laici, maximè in delictis scandalosis et notoriis; uti etiam si parochiani, vel patronus, quorum interest bonum pastorem habere, agant contra Clericum (*c. 7. 14. 33. h. tit.*)—V. Ob reverentiam naturalem specialiter conjuncti contra se invicem, ut liberi, fratres, liberti, maritus, contra parentes, fratres, patronos, uxorem, et econtra (*Can. 3. si testes. 4. q. 3. l. 3. §. 5. et l. 6. 12. C. h. t.*), nisi esset causa modica, consanguinitatis, vel aliter veritas haberi non posset. In his omnibus privilegiata sunt delicta excepta, præsertim perduellionis, hæresis, et alia gravissima, in quibus testes aliàs inhabiles admittuntur, sed quantum probent, pensatis circumstantiis, judex arbitrabitur.

## §. II.

De productione, juramento, examine, et depositione  
testium.

## 162. Q. I. An, et quando testes sint producendi?

R. 1.º Affirmativè. Unde testis ultroneus, hoc est, non citatus nec à parte productus, tanquam suspectus repellendus est; nisi talis testis in præsentia adversarii et judicis deponeret, nemine reclamante, cum hoc modo non censeatur se ingerere, sed potius à parte produci.—2.º Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam intra terminum à judice præfixum (*tit. ut lite non cont.*), non ultra ter. Quarta verò productio non admittitur, nisi ex justa causa, et cum solemnitate legali, scilicet præstito juramento super tribus punctis; quod petens quartam productionem testium, testificata non suppresserit vel occultaverit quod ea non sit percontatus, seu quod priores depositiones non exploraverit; et quod malitiosè quartam istam productionem non petat, sed quia testes istos antea producere non potuit. Ità *nov. 90. cap. 4.*, cujus dispositio recipitur à jure *can. cap. 45. et 55. h. t.*; tum ut coerceatur efrænata testium multitudo; tum ut præcaveantur pericula subornandorum testium. Si tamen adversa pars non contradiceret quartæ productioni sine solemnitate hac factæ, valerent testimonia, cum non irritentur.—3.º Testes iidem semel producti, possunt in eodem judicio super iisdem articulis reproduci, dummodo producens alteri productioni non renuntiaverit, vel priora testificata non didicerit: v. g. audiendo à judice lecta, vel accipiendo illa per communicationem notarii (*c. 46. h. t.*); nam eo casu, quo reproducens testes non didicit priora testificata, non est suspectus de subornatione testium; ex altero autem capite facultas probationum non est indebitè coangustanda (*c. 40. h. t.*)

## 163. Q. II. Quæ forma servetur in productione testium?

R. 1.º Actor, in scriptura continente articulos probandos, exprimit testes, quis super quo articulo examinandus sit.—2.º Hanc scripturam judex communicat reo, an excipere velit contra articulos, vel personas testium, vel formare interrogatoria.—3.º Reus in scripto offert judici suas exceptiones et interrogatoria; judex verò exceptiones communicat actori, sed non interrogatoria, ne testes subornentur, vel instruantur ad respondendum.—4.º Tum judex exceptiones contra testes rejicit ad finem causæ, nisi exceptio absolutè excluderet personam à testificando, et mox citat testes ab actore nominatos; et si subditi sunt, cogit eos ad comparandum in judicio certa die præfixa. Si verò testes ob locorum distantiam, vel aliud justum impedimentum comparere non possunt, judex per *litteras remissoriales* requirit judicem alterius Provinciæ, ut examen testium in se reci-

piat, eorumque depositiones in scriptis sub suo sigillo clausas remittat (*l. 48. Cod. de fid. instr.*). Sed hoc in civilibus tantummodo causis: nam in criminalibus testes apud judices repræsentandi sunt, et cum res exegerit, tormentis subjiciendi (*seq. auth. apud C. eod.*) Depositiones testium, si aperte militantur, per hoc non vitiantur; pars tamen aperiens absque auctoritate judicis, punitur pœna falsi; neque opponere potest de habilitate, vel falsitate testium.—5.º Ad receptionem testium regulariter citanda est pars adversa, ut in præsentia ejus testes recipiantur, putà ut eos videat, juramentum audiat, non tamen intersit secreto examini et depositionibus. Quo sensu procedit *c. 2. h. t.* ibi: *venire et audire testes*, et *c. 52. lib. 14. C. eod.* In certis tamen casibus non requiritur ista citatio partis adversæ: ut si est periculum in mora, periculum fugæ, in causa hæresis; item si necessariò standum sit dicto jurato testis, v. g. ex voluntate testatoris ità mandantis etc. (*c. fin. de hæret. in 6. lib. 14. ff. de dote præleg.*) Ceterum, productio testium fieri debet sumptibus producentis (*c. 14. §. penult. de rescr. in 6. l. 11. et 16. in fin. C. h. t.*), cum is regulariter expensas faciat, in cujus gratiam actus celebratur.

## 164. Q. III. An juramentum necessariò prærequiratur ad depositionem testium?

R. 1.º Affirmativè, sive testis sit laicus, sive Clericus, Religiosus, sive etiam Episcopus, aut Cardinalis: ità *l. 9. et 18. C. h. t. cap. 17. 29. 39. 51. eod.* Quia nulli testi non jurato credendum est in alterius præjudicium, non obstante quacumque consuetudine, utpote irrationabili, et præjudiciali sinceritati testimoniorum. Mysing. tamen et alii non audent reprobare consuetudinem in certis provinciis, in quibus personæ illustres, morum integritate conspicuæ, non sub juramento corporali, sed sub fide sua testificantur, cum tale juramentum mutuo partium consensu, utpote in favorem earum principaliter introductum, regulariter remitti possit testibus (*c. 39. h. t.*), exceptis causis beneficialibus, matrimonialibus, criminalibus, et civilibus valde arduis, quæ non pendent à voluntate partium. Reiff à n. 480.—2.º Hoc juramentum præmittendum est depositionibus, ut communis docet ex *l. 9. C. h. t.* relata in *Can. si testes*, 4. q. 3. ibi: *Jurisdictioni religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarcentur.* Nam ex postfacto timore verecundiæ et infamiæ nullus facilè fateretur, se falsum dixisse. Opposita sententia Laymanni et Canisii forsan in hoc casu admitti posset, si testis præmoneretur, quod mox super facta depositione jurare debeat.—3.º Testes jurant super tota veritate dicenda, super nulla falsitate intermiscenda, super omni veritate dicenda pro utraque parte, super veritate dicenda, sive speciatim interrogentur, sive non; item super eo, quod non ex causa mercedis, vel passionis testimonium dicent; et juxta Abbatem, quod dicta sua secretò teneri velint usque ad publicationem. Gloss. in *c. 17. h. t.* Circa formam juramenti, an id fiat coràm Crucifixo, tactis Evangeliiis, vel erectis indice et medio digito, servanda est consuetudo cujusque tribunalis.

## 165. Q. IV. Quomodo instituat examen, et depositio testium?

R. 1.º Examen instituitur à judice vel ejus delegato, in loco judicii,

die juridico, seu non feriato, manè, dum testes adhuc jejuni et sibi benè præsentibus sunt (l. 3 ff. et c. 4. h. t.)—2.º Judex proponit testibus interrogatoria super articulis, primùm generalia, deinde specialia; numquam autem suggestiva, ut dict. tit. de Conf. n. ult.—3.º Quilibet testis seorsim et secretò examinatur, ne alter sequatur dictum alterius, et quilibet deponit, seu respondet clarè, certè, conformiter articulo et interrogationi, et viva voce, quia per l. 3. §. 3. ff. h. t. testibus credendum est, non testimoniis, seu viva voce, et non scripto deponentibus—4.º Has omnes depositiones, servatis, quantum possibile est, ipsis verbis testium, notarius annotat, et ex protocollo testi prælegit, ut perpendat, an rectè responderit, vel intellectus fuerit, quia tunc adhuc dicta corrigere potest.—5.º Tandem imponitur testi silentium de sua depositione, etiam sub juramento, si ita consuetudo habet.

### §. III.

#### De probatione testium, et publicatione attestationum.

##### 466. Q. I. Quot testes requirantur ad plenam probationem?

R. 1.º Duo regulariter testes idonei testes, qui sint testes de scientia, deponentes se scire rem gestam, et dantes causam suæ scientiæ, quod per sensum corporeum rem perceperint, puta per visum rem visibilem, et per auditum rem audibilem: v. g. vidi, quod Titius occiderit Cajum; vidi et audivi Titium blasphemantem. Ità Deuter 17. v. 6. In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur: Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium; et c. 23. 37. h. t. Nam in ore duorum legitime examinatorum non præsumitur periculum falsitatis.—2.º Dantur aliqui casus, in quibus jura requirunt plures testes: ut septem in testamento, septem in probanda impotentia pro solvendo matrimonio (cap. 7. de frigid.), quatuor in purgatione canonica (c. 12. de purg. Can. Et olim 72 contra Episcopum Card., 44 contra Presbyterum Card., 27 contra Diaconum Card. septem contra Subdiaconum et inferiores Clericos (Can. 2. 3. caus. 2. q. 4.) Hodie plerùmque duo sufficiunt omni exceptione majores. Econtra dantur casus, in quibus unus testis sufficienter probat, ut in causis medicis, in causis nulli præjudiciosis: v. g. an Ecclesia sit consecrata, in denuntiatione impedimentorum matrimonii, in causa testamenti, si testator voluit stare unius declarationi (l. 18. ff. de dote præleg.) Item si Princeps testificetur, vel Notarius publicus dicat instrumentum à se confectum etc. Extra hos casus locus est brocardico: Unus testis, nullus testis; dictum unius, dictum nullius.

467. Q. II. Quid probent testes de credulitate qui deponunt, quod credant rem ita esse?

R. Regulariter nihil probant; imò nec sunt propriè testes, cum ratio-

nem sui dicti reddere nequeant per sensum corporeum, sicut requiritur in testibus (cap. 37. et l. 3. §. 1. ff. h. l.) In casu tamen necessitatis admittuntur, v. g. ad probandam filiationem, inculpatam tutelam occidentis, in his quæ pertinent ad peritiam artis, quia perito in arte sua credendum est: item si credulitas est proxima sensui; ut si quis deponat adulterium commissum esse, ex eo quod nudum cum nuda deprehenderit etc.

468. Q. III. Quid probant testes de auditu auditus, seu de auditu alieno deponentes, se ita audivisse à viris fide dignis?

R. Regulariter plenè non probant (Can. in primis 2. q. 1. c. 47. h. t.); nam non testantur ex propria scientia, sed ex dicto tertii et famæ fallibilis, maxime in criminalibus. In certis tamen casibus admittuntur: ut in factis antiquis, in causis difficilis probationis etc. An verò testes de auditu alieno faciant semiplenam probationem, pensatis circumstantiis, relinquatur arbitrio judicis.

469. Q. IV. Quantum probent testes singulares?

R. Cum distinctione:—1.º Testes singulares singularitate obstativa, prorsus nihil probant, cum dictum unius enervetur per dictum alterius, sicut accidit in illis senioribus, Daniel. 13.; unde in tali casu non est locus juramento suppletorio.—2.º Testes singulares singularitate diversificativa deponentes de diversis, non tamen sibi contrariantibus, plenè non probant, sed quisque in suo dicto semiplenè (c. 9. §. quamquam de prob.) ibi: in dicto sui testimonii sunt singulares; quo valet illud Baldi: testes singulares tantum probant mille, quantum unus.—3.º Testes singulares singularitate adminiculativa plenè probant, si deponant super pluribus actibus tendentibus ad idem factum successivum, genericum vel continuum. Sic possessio probatur, si unus dicat, quod viderit Titium arantem, alter seminantem, tertius colligentem fructus etc.; nam hic quoad substantiam testes sunt testes. At si deponant super uno facto specifico, plenè non probant, sed plusquam semiplenè; ut si unus dicat, quod viderit Titium dedisse Cajo pecuniam mutuam, alter verò, quod id audiverit à Cajo; nisi valde multa et gravia adminicula concurrerent ad complendam probationem in civilibus: in criminalibus verò nunquam sufficiunt ad penam ordinariam, sed ad torturam, et quandoque penam extraordinariam (l. fin. C. de probat.)

470. Q. V. Quid probet testis sibi contrarius, vel varians?

R. Ad 1.º Nihil probat (Can. nihilominus 3. q. 6. c. 54. in fin. de appell), quia non est ratio, cur uni potius quàm alteri dicto credatur, nisi in continenti dictum erroneum revocaret (c. 7. in fin. de test. cog.). Imò testis sibi contrarius, tanquam perjurus, puniendus est pœna L. Corneliæ de falsis (l. 16. ff. h. t. Can. si testes 4. q. 3.); quæ pœna olim de jure Canonico fuit penitentia septem annorum (c. quicumque 6. q. 1.), hodie est arbitraria. At si testis extra judicium dicat quid contrarium, statim potius dicto jurato judiciali, utpote magis deliberato et qualificato, quàm dicto contrario extrajudiciali, etsi quis expressè dicat se falsum dixisse in judicio (c. 9. h. t.), quo tamen casu redditur suspectum testimonium judiciale.—Ad 2.º Si testis est varius, regulariter valet primum illius

dictum juratum (l. 43. C. de non num. pec.); cujus textus finalis refertur in e. 40. de probat. ibi: *Cum nimis indignum sit, ut quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem eassum proprio valeat testimonio infirmare.* Nam primum dictum præsumitur verum; secundum verò præsumitur proficisci ex subornatione. *Excipe*, nisi testis probet errorem facti; vel pro secundo dicto stent plura adminicula; vel si primum sine, et alterum cum juramento fuit depositum. In causa hæresis auditur testis, etsi prius perjurus fuerit (cap. 8. §. licet de hæret. in 6.)

471. Q. VI. *Quid juris, si concurrunt testes discordantes?*

R. 1.º Testimonia, quantum possibile est, reducenda sunt ad concordiam, ut vitetur reatus perjurii, et testimonia potius valeant quam pereant (c. 46. h. t.). Si verò ad concordiam reduci nequeant, regulariter prævalet major numerus concorditer affirmantium; ut si duo contestes affirmant, et tertius dicat, se non recordari, non interfuisse actui etc. Nam ex communi brocardio: *magis credendum est duobus testibus affirmantibus, quam centum negantibus*, qui dicunt se nihil scire; iudicis tamen partes erunt, attendere non tantum numerum, sed et qualitates testium, an sint graves, majori fide digni.—2.º Si testes ex utraque parte actoris et rei sint omnino pares numero et fide, favendum est reo (c. 2. de probat.), nisi actor habeat causam favorabilem testamenti, libertatis, matrimonii, dotis; si pares fide et non numero, præferuntur plures numero; si denique impares fide, præferuntur pauciores pluribus minore fide dignis (c. 32. h. t.) Post excepta et perpensa testimonia deveniendum est ad eorum publicationem; quæ est publica prælectio depositionum, quas singuli testes juridicè et secretò examinati fecerunt.

472. Q. VII. *An publicatio attestatorum sit necessaria, et qua forma fiat?*

R. Ad 1.º Est quidem necessaria ad justitiam iudicii, ne altera partium exinde gravetur; et ideo locus est appellationi à sententia lata, non publicatis depositionibus. At non est necessaria ad substantiam processus iudicarii: c. 22. de sent. et re iudic. ubi jubetur confirmari sententia lata, *depositionibus coràm partibus minimè publicatis, nec ostensis eidem*: tum quia iudici semper publicatæ sunt attestaciones, seu nota acta judicialia et jura partium; tum quia sententia secùs lata nullibi à jure invalidatur.

Ad 2.º Forma publicationis consistit in seqq. actibus:—I. Utraque pars necessariò citatur ad interessendum publicationi (c. 2. h. t. in 6.)—II. Iudex partes præsentés (contumaciter absens habetur pro præsenté) interrogat: an consentire velint in publicationem, an verò justas causas habeant eam differendi.—III. Consentientibus partibus, publicatur rotulus examinis, seu attestaciones præleguntur publicè cum nominibus testium; excepto iudicio hæresis, ubi nomina accusantium, denuntiantium, et testificantium non publicantur ex Const. Pii IV. incip. *Cum, sicut*.—IV. Facta publicatione, datur partibus copia attestatorum, ut, si quid habeant, inter præfixum terminum, contraponant.

473. Q. VIII. *An post attestaciones publicatas testes produci possint?*

R. Cum distinctione:—1.º Super articulis omnino novis non sunt pro-

ducendi, cum articuli isti ad causam non pertineant.—2.º Super articulis emergentibus ex causa produci possunt testes, uti etiam super articulis antiquis indirectè contrariis (c. 35. h. t.): ut si actor prius produxit testes super mutuo dato, absque expressione loci et temporis, deinde producere poterit testes testificantes de certo loco et tempore; nam hic nulla est subornationis suspicio.—3.º At super articulis antiquis, vel directè contrariis, regulariter nec iidem nec alii testes admittendi sunt post publicatas depositiones: v. g. si actor per testes probavit, se mutuum dedisse certo loco et tempore, reo non admittitur productio testium probantium contrarium, quod eo tempore non fuerit in illo loco, sive in prima, sive in secunda instantia. Ita Nov. 90. c. 4. et *auth. at qui semel C. de prob.*, quæ dispositio recipitur à jure Canon. c. 17. 48. 36. h. t. Clem. 2. eod. Ratio universalis additur, scilicet, periculum subornationis testium; tum etiam, quia partes consentientes in publicationem attestatorum, saltè tacitè renuntiarunt ulteriori probationi per testes.—Nec obstat, quòd tunc instrumenta produci possint (c. 9. de fide instrum.); nam in his cessat periculum subornationis. Excipe varios casus, in quibus specialis ratio aliud suadet propter periculum animæ, vel corporis, aut gravis injustitiæ, uti in criminalibus, matrimonialibus, beneficialibus; item si altera pars non consentit in publicationem attestatorum, vel si testes de perjurio erant convicti, vel si ex malitia aut negligentia iudicis non erant plenè examinati, vel obscurè deposuerunt. Vide Farin. Reiff. Speculat. etc.

474. Q. IX. *An attestaciones in uno iudicio receptæ fidem faciant in alio iudicio inter easdem personas, eisquæ succedentes, et in eadem causa?*

R. Cum distinctione:—1.º Si publicatæ non sunt, regulariter non faciunt fidem (c. 37. §. *fn. hoc. tit.*), quia ante publicationem iudex alterius iudicii non informatur notitia publica talium testimoniorum. Si tamen partes consentiant, vel testes sint mortui, valetudinarii, aut nimis distantes, attestaciones etiam post publicatæ fidem faciunt in alio iudicio.—2.º Attestaciones à iudice publicatæ faciunt publicam fidem in alio iudicio (cap. *fn. de probat. l. fn. C. de re jud.*), ubi ratio additur: *neque enim morte cognitoris perire debet publica fides*, seu veritas, quæ semper et ubique est eadem. At si attestaciones publicatæ sunt ab arbitro compromisario, vel in iudicio summario, non probant in plenario, nisi adversarius consentiat, vel testes mortui sint; neque probant inter alias personas, vel in causa diversa, ut receptæ in civili non probant in criminali.—Ex his solvitur *l. fn. C. h. t. c. 50. eod. c. 6. v. nec attestaciones de fid. instrum. c. 4. de jud. arg. a l. 9. §. fn. ff. de jure*.

Ex dictis constat duplicem esse effectum publicationis: quod scil. testes recipi non possint super iisdem articulis, vel directè contrariis; et quod attestaciones publicatæ fidem faciant in alio iudicio; quibus tertius additur ex dicendis, quod facta publicatione, non admittantur exceptiones contra personas testium.

## §. IV.

De exceptionibus contra personas, examen et dicta testium, eorumque reprobatione.

175. Q. I. Quando proponendæ sunt exceptiones contra personas testium?

R. Regulariter ante publicationem testium, non verò post illam, ut dicitur *c. 31. h. t.*, ubi tres casus excipiuntur: si quis juramento affirmet quod malitiosè non excipiat, si sibi reservavit jus excipiendi, si causa excipiendi primò post publicationem innotuit. Ratio resolutionis est, quia litigantes consentientes in publicationem testium, censentur eorum personas approbasse. Porrò exceptio contra personas testium non est *dilatatoria per se*, quia non differt processum; nec *peremptoria*, quia non excludit actionem; sed vocari solet *quasi peremptoria*, quia sublata probatione per testes, quasi indirectè tollitur actio.

176. Q. II. Quando discutiendæ sunt exceptiones contra personas, examen et dicta testium?

R. Ad 1.<sup>m</sup> Rejiciendæ sunt ad finem litis (*auth. si testis C. h. t.*); Nam aliàs inutiliter protraherentur judicia, cum fieri possit, ut iudex sententiam ferat, non attento testimonio eorum, contra quos excipitur, eo quod aliorum depositiones sufficiant. *Excipe*, nisi talis exceptio objiciatur, quæ jure, aut speciali ratione impedit receptionem testis; tunc enim statim cognoscenda est: ut exceptio excommunicati (*c. 2 de except. in 6*), criminis, vel defectus notorii in continenti probabilis (*cap. 7. h. t.*), servitutis, inimicitiae capitalis; et si testes in fine litis non possent reperiri, ut quia sunt valetudinarii, procul abituri etc.—Ad 2.<sup>m</sup> Exceptiones contra examen testium, quod legitimo modo peractum non fuerit, et contra dicta, quod dubia, obscura et incerta, vel sibi contraria sint, proponuntur post publicationem attestatorum, cum citius non innotescant.

177. Q. III. An, et quomodo testes reprobari possint?

R. 1.<sup>o</sup> Nemo personam testis à se producti reprobare potest, nisi ex nova causa, v. g. inimicitiae, affinitatis cum altera parte, etc. (*l. 17. C. h. t.*); nam producens testem censetur habilitatem ejus approbare. Hoc non obstante, dicta testis, si falsa vel contraria sibi sint, reprobari possunt, quia prævideri non poterant, sicut habilitas testis. Sic etiam potest quis appellare à sententia iudicis, quem sibi impetravit (*c. 14 de sent. et re jud.*) 2.<sup>o</sup>—Testes probatorii, qui inducuntur ad probandum negotium principale, reprobari possunt per testes reprobatorios, et reprobatorii per alios reprobatoriorum reprobatorios (*cap. 49 h. t.*), cum reprobationes istæ vim habeant justæ defensionis. Ulteriores verò reprobationes, ne crescant in infinitum, non conceduntur, sed sistendum est in reprobatoriis reprobatoriorum.—3.<sup>o</sup> Forma reprobationum traditur in *c. 2. §. testis etiam h. t.*

in 6, et potissimùm in duobus consistit:—1.<sup>o</sup> volens reprobare testes, debet specificè exprimere crimina, aut defectus inhabilitatis, et simul testes in specie: v. g. volo probare Titium testem furem esse, quia Cajo furatus est hoc vas aureum, et pro hac probatione inducam testem A, B, C.—2.<sup>o</sup> volens reprobare testes reprobatorios reprobatoriorum debet præmittere juramentum malitiæ, quod reprobationem istam malitiosè non petat, quia major in hac, quàm illa reprobatione præsumitur malitia; licèt iudex, si ita judicaverit, indicere possit juramentum etiam illi, qui vult reprobare testes probatorios.

## TITULUS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS, VEL NON. <sup>a</sup>

178. Q. I. An quis regulariter à suo iudice cogi possit ad testificandum?

R. 1.<sup>o</sup> Affirmativè: laicus quidem à laico, et Clericus ab ecclesiastico (*c. 2 et 4. h. t. c. 18, 43, de testib.*) Nam hoc exigit bonum reipublicæ, ne veritas occultetur; et lex charitatis ac justitiæ, ne defectu probationum jus suum parti pereat. Coactio autem ista de jure civili fit, indicta multa pecuniaria, vel captis pignoribus etc.; de jure Can. autem prius per admonitionem, deinde per censuras; et si Clerici sunt, prius ab officio et beneficio suspenduntur, deinde interdicuntur, tum excommunicantur, et tandem deponuntur (*c. 1. 2. 5. h. t.*) In casu necessitatis, si Clericorum testimonium requiritur in iudicio sæculari, Episcopus rogatus à iudice laico testimonium excipiet à Clericis, vel illos mittet ad iudicem laicum, ut ibi more Clericorum juramentum et attestaciones deponant.—2.<sup>o</sup> Testes non tantùm in causa civili, sed etiam criminali cogi possunt ad testificandum: ita de jure civ. *l. 16 C. de testib.*, ne crimina maneant impunita. At de jure Can. regulariter non sunt cogendi in causa criminali (*c. 7 et 10. h. t.*), nisi in criminibus exceptis, vel si iudex ex officio procedat, vel pro innocentia rei, et quoties veritas sine gravi peccato celari nequit.

179. Q. II. Quæ sint personæ privilegiatæ, quæ cogi nequeunt ad testificandum?

R. Parentes contra liberos et econtrà, etsi vellent; cognati et affines usque ad tertium gradum inclusivè, nisi forsan in causa civili vellent. Uxor contra maritum, libertus contra patronum, Clericus in causa sanguinis, de quibus *tit. præced.* dictum. Excipe crimina gravissima, maxime in futurum pendentia, et si aliter veritas obtineri non potest; quo casu iudicis est

<sup>a</sup>.—Agitur de hac materia sparsim in iuribus titulo præcedenti allegatis, cum specialis rubrica de hoc jure civili non extet.